



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. XXI. Varijs exemplis confirmantur dicta capite præcedente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

sito quadrantem adfert. Nullus agricola tam fatuus est, vt longum ipsi videatur tempus, quo seminat, quāuis in eo multos dies cōsumat, scit enim, quo longius erit tempus seminationis, tanto maiorem & copiosorem fore messem. Sic etiam dicit, laborem huius vitæ nobis non debere videri longū (hoc enim seminationis tempus est) & quo plus seminauerimus & laborauerimus, tanto abundantiorē & copiosorem fructum colligemus. Et addit hæc verba Sanctus: *Et certe modicum seminis incrementum non modica seminis multiplicatio est.* Quando agricola messem videt, & colligit pro vna mensura tritici, quam seminauit, viginti vel triginta, vellet seminasse plures.

Bern. ep. 341.
ad Monachos
Ecclesie S.
Martini.

CAPVT XXI.
*Variis exemplis confirmantur dicta
capite precedente.*

NARRATUR de quodam patre, qui multum laborabat, & multis poenitentibus & mortificationibus affligebat. Dicebant socij & discipuli, vt cessaret & superfederet huiusmodi laboribus & mortificationibus, eo quod tantæ essent. Respondit: Credite mihi, filij si locus & conditio, quam habent sancti in cælo, esset capax doloris & poenæ, illos sane multum dolituros, eo quod non plus laboris & mortificationis in hac vita perpeffi sunt, animaduertentes magnum præmium, quod pro illo acceptari erāt, & quod tantillo labore & sumptu gloriæ tantum sibi parare poterāt. Cum hoc conuenit S. Bonauentura dictū: *Tantam enim gloriam o-*

*Merere dū
forum est.*

*Bonau. apust.
de perf. relig.
li. c. 32.*

*Blo. & r. esert
Tilman. Bre.
denbach. l. 8.
col. c. 30.*

*Hora nulla
sine linea.*

de perf. relig. mni hora negligimus, quantabona interim facere possemus, si otiose eam transigimus.
Huic simile, quod dicitur de S. virgine Mechtilde, quæ sapissime à Christo sponso suo, cui se totam sacrauerat, visitata, & ex eo mira intelligens, audiuit quadā vice sanctos sibi dicentes: O quam felices & beati vos, quæ adhuc in terra viuitis, propter magna merita quæ parare potestis: si n. homo sciret, quātū potest omni die mereri, statim ab ipsa hora, qua strato surgit, cor

læritia & suauitate impleretur, & quod dies ille ortus esset, in quo Deo Domino nostro viuere potest, & eius gratia ad honorem & gloriā Dei augere suū meritum, & ille daret vires & robur ad omnia faciendum & patiendum summo gaudio.

In Prælo spiritali composito à Ioanne Euirato, vel (vt alij dicunt) à S. Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, & approbato in Concilio Niceno secūdo, narratur, quod Monachus quidā cellā habitabat, p. cellā ab aqua distitā, videlicet circiter 4. miliaria, & vadens quadā vice pro aqua defecit in via valde defatigatus, & dixit apud se: Quare necesse mihi laboris tantū sumere, volo habitationem prope aquam facere, & ibi cellam extruere. Alia vice vadens cū vase ad aquā, designabat locū, in quo cellam eōmode posset construere, & quæ ratione illā faceret, & quā ibi vitā duceret. Statim audiuit vocem, quasi hominis, dicentis: Vnum, duo, tria, & mitatus respexit, quod in solitudine quis distans metiretur vel numeraret, & neminem videbat. Ipse vero perrexit in via cogitans de eo, quod proposuerat, & eandem vocem iterū audiuit, dicentē: Vnū, duo, tria, &c. Et secundo respexit, & rursus neminem vidit. Tertio idem accidit, & respiciens vidit pulchrum & fulgidū adolescentē, qui dixit illi: Ne turbare, sum Angelus Dei, & veni. vt numerē passus tuos, ne vilius eorū suo præmio & remuneratione careat. Et hoc dicto disparuit. Monachus hoc vidēs in se reuersus est, & dixit: Quomodo sic mēte captus sum, vt tanto me bono & lucro spoliare velim. Et statim decreuit longius cellam ponere, quam erat, vt sic maiorem laborem & lassitudinem pateretur.

Narratur in vitis Patru de quodā grau- dæuo Monacho, qui habitabat in Thebas, de, qui habebat discipulū, quem multum probauerat. Sueuerat sanctus senex et facere singulis noctibus exhortationē, & facta oratione eum dimittere cubitū. Contigit quosdā seculares visitare Monachū motos abstinentiæ eius fama, & illis sero dimissis, cœpit exhortationē solitā facere, quæ durauit tantū, vt senex in somnū

inci-

incideret. Bonus discipulus expectabat, donec euigilaret, vt simul oratione fa-
rent, & illu dimitteret. Illo vero non euigilante cepit affligi cogitationib. impa-
tientiæ, quæ iubebant, vt cubitum abiret. Resistebat semel, sed aliæ & aliæ insurgunt, ad septem vsq; , & omnib. magno animo resistit. Media nocte expergiscitur senex, & inueniens cum eodem loco sedentem, quo erat, dum inciperet, exhortationem dixit: Fili, cur me non excitasti? Respondit: Ne tibi molestus essem. Legunt preces matutinas, quib. absolutis, dedit ei benedictionem, & dimisit. Senex aut se orationi dans, fuit in extasi raptus, & Angelus quidam ostendit ei locu pulchru & gloriosum, & sedem splendidam, & supra sedem septem pretiosissimas coronas. Senex quærebatur, cuius essent hæ coronæ? Respondet discipuli esse, & locu & sedem ei a Domino datâ pro vita, quam agit, coronas vero eadē nocte promeritū esse. Mane quæsiuit monach⁹ a discipulo, qd illi nocte elapsa contigisset, dū ipse dormiret? Bonus discipulus narrat quod illi contigerat, & quod septies cogitationib. resistisset, quæ monebāt, ne ipsum expectaret. Ex quo nouit senex illū 7. has coronas promeritū esse.

De S. Francisco dicitur, qd obuius factus quadam vice hyeme fratri carnali qui videns illum male vestitū, & quasi nudum, motientem & frigore tremetem, insit illi ridendo dici, an vellet illi sudoris guttam vendere. Sanctus multa cū hilaritate respondit: Dicit fratri meo, qd totū iā Deo & Domino meo magno & caro vendidi. Alias & post aliquor annos multū grauib. & continuis dolorib. afflictus, & præterea nouis & molestis Diaboli tentationibus sic obrutus, vt vix viribus vllis humanis iuari posse videretur, audiuit vocem e cælo, quæ illū bono animo esse iuberet, eo qd ob istos labores & tribulationes tantum thesaurum adepturus esset, & quamuis omnis terra verteretur in aurū, & omnia saxa in pretiosissimas margaritas, & omnes aquæ in balsamum, tamen cōparari non possent cū præmio & remuneracione, quæ pro iisdem acciperet. Quo

promisso sic exhilaratus & recreatus fuit Sanctus, vt post nullos dolores sentiret. Et vocatis religiosis narrauit solamen, quod Deus e cælo misisset.

CAPVT XXII.

De medio, quo iuuabimur, & quod reddet facile mortificationis exercitium, videlicet Christi Seruatoris exemplo.

QVARTVM medium quod animum addet, & in hoc mortificationis exercitio multum iuuabit, est Christi Seruatoris nostri exemplum. Ideoque id a S. Paulo nobis proponitur ad nobis animum dandum. Armemus nos patientia, & per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, quod nos manet, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio redemptionis nostræ sustinet, & crucem confusione contempta. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animus vestris deficientes. Non enim usque ad sanguinem resististis aduersus peccatum repugnantes. Refert sacra Scriptura, dum filij Israel ibant per desertum, & inueniebant aquas Maran, quæ tam erant amara, vt eas bibere non possent, Moysen Deum orasse, qui ostendit illi lignum, quo in aquas iniecto, reddita sunt dulces & lapidæ. Per lignum hoc intelligitur à sanctis lignum crucis. Quando ergo mortificationis labor amarus & grauis tibi erit, inijce ei sanctum hoc lignum, & recordare crucis & passionis Christi, flagellorum & spinatum, fellis & aceti, quod ei in siti propinatum est, & statim tibi dulcis & lapidus erit.

In Chron. Minoritarum legitur, quod quidam diues, honoratus & delicijs assuetus ordinem intrauerit, & tentator videns vitæ eius mutatione, aggressus est illum, & oculis subiecit ordinis austeritatem, & pro lautitijs, mollibus vestibus & lecto, quib. in mundo utebatur, inueniebat fa-

Christi exemplum confortat.

Hebr. 12. 2.

Exod. 15. 23.

2. p. 1. 4. e. 10. Chronic. 5. Francisc.

Probatum exemplo.

1. p. 1. 4. e. 10. Chronic. 5. Francisc.

